



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LI. S. Gelasivs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

urbis, quos ad clamaciones ambientium, non persona dignitas, quæ petenda est, sed venalitas plectenda, sollicitat, sciant se patria, cui tam male consulunt habitatione pellendos, ac de suis facultatibus eruendos, fiscoque nostro esse permisos.

LI.

A. ccccxcii

S. GELASIVS.

*2 epist. 1.**Dist. 55. c. pri-
scis.**Dist. 77. c. 2^o
quis**1. q. 1. bapti-
zan.**Dist. 95. c.
presbyteros.**D. st. 93. c. dia-
conos.*

GELASIVS, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annos 4. men-
ses 8. dies 18. Fuit autem temporibus Theoderici regis, & Ze-
nonis Augusti. Hic ordinavit Episcopos 67. presbyteros 32. dia-
conos 2. Hic migravit ad Christum 11. Calend. Decemb. Hic ge-
nerale^a decretum destinavit ad vniuersos Episcopos per Lucani-
am, & Brutios, & Siciliam constitutos, de Ecclesiasticis institutis
moderatè pro temporis qualitate disponendis; quæ vbi nulla re-
rum vel temporum perurget necessitas regulariter custodienda
præcepit. Sed quia suis in temporibus in multis locis Italix officia
clericalia belli famisque incurfio consumpserat, ita vt vsquequaq;
ministorum seruitium deficeret; sic paternorum canonum decre-
ta librauit, vt clericum quemlibet à primo vsq; ad vltimum gra-
dum infra anni spacium promouendum concederet. Laicum
verò infra annum & sex menses, si nihil eorum, quæ canonum
censura prohibet eis occureret, & his institutis, quæ temporum
necessitas fieri postulabat, paternorum canonum veterem for-
mam esse instituit, quia non aduersus maiorum scita noua
lege proponitur, quod de accidentis defectus remedio proui-
detur.

ITEM prohibuit, vt in baptizandis consignandisque fide-
libus nulla pretia exigantur, & si qui hoc perpetrasse fuerint de-
prehensi, proprii honoris periculum sunt subituri. **I**TEM ius-
sit, vt presbyteri modum debitum seruent, videlicet, non
chitima conficiant, non consignent, nec præsentem quolibet E-
piscopo, nisi iubeantur ab ipso, vel orare, vel sedere præsumant,
nec acolythum, nec subdiaconum faciant. Diaconos etiam
suam mensuram seruare præcepit, scilicet, vt absque Episcopo
vel presbytero baptizare non audeant, nisi his longè constitu-
tis necessitas extrema compellat: quod & laicis Christianis fa-
cere plerunque conceditur. **I**TEM prohibuit, ne ipsi in pre-
sbyterio sedeant, aut sacri corporis prerogationem sub con-
spectu

spectu Episcopi vel presbyteri ius habeant exercendi, licet his *De cons. d. 1. c. basilicas.*
absentibus. Item dicit, obseruantiam, quam sedes Apostolica pio
deuotoque proposito tenere studet, eam quenquam Pontificum,
vel sequentium ordinum refutare indignum est.

ITEM iubet ordinationes presbyterorum, & diacono- *Dist. 75. c. fin.*
rum non fieri nisi certis diebus, id est, quarti & septimi & deci-
mi mensis ieiunio, & etiam in quadragesimi initio, & mediana
quadragesimali die Sabbathi circa vesperam celebrandas esse
fanciuit. Virgines autem nisi in Epiphania, aut Albis Pascha- *20. q. 1. deuotio*
libus, aut Apostolorum natalitiis velare prohibuit, nisi ipsæ lan-
guore correptæ implorent, ne de hoc seculo sine hoc munere ex-
cant. Prohibuit etiam, quod nec diuina auctoritas delegit, nec
forma canonum præstituit, & ita eis Ecclesiastica sunt interenda
præsidia, vt nihil committatur illicitum. ITEM iubet, ne quis *Dist. 54. c. Ge-*
Episcopus, presbyter, aut diaconus, aut aliqui eorum, qui mo- *neralis.*
nasteriis præesse noscuntur, seruum aut origenarium nolenti-
bus Dominis retineat, Ecclesiasticæ seruituti, vel religiosis con-
gregationibus applicet, nisi dominorum voluntate sub testimo-
nio scripturæ prius absoluantur: alioquin proprii honoris peri-
culum se subituros esse non ambigant.

ITEM de clericis, qui negotiationibus imminent, dicit.
Proinde huiusmodi aut ab indignis posthac quæstibus nouerint absti-
nendum, & ab omnibus cuiuslibet negotiationis ingenis, cupiditateque
cessandum, aut in quocunque gradu positi sint, mox à clericalibus officiis
abstinere cogantur. Item dicit, illis, qui dæmoniis, aliisque passio- *Dist. 35. c. vs-*
nibus irretiti sunt, mysteria sacra tractare non liceat. Illos au- *que ad cō.*
tem, qui se sacris virginibus temerè sociant, & post dicatum
DEO propositum incesta sacrilegaque miscent fœdera, pro-
tinus à sacra communionem iubet detrudi & nisi per publicam,
probatamque pœnitentiam omninò non recipi, sed his de seculo
transeuntibus, si tamen pœnituerint, viaticum dandum esse concessit.
Secundas nuptias laicis quidè nō negat: ad clericale venire colle-
giū eosdem penitus vetat. ITEM dicit. Quisquis propriam Eccle-
siã deserens, ad aliam nullis existentibus causis, putauerit transeun-
dum, temereque fuerit susceptus & promotus, vel ipse, vel susce-
ptor eius reuerendorum canonum atq; præceptorum constituta non
effugiet, quæ de huiusmodi præsumptoribus præfixere seruanda. ITEM
inferius dicit. *Quos cōstiterit indignos meritis sacra mercatos esse pretio di-*

nitatē, conuictos oportet arceri, nō sine periculo facinus tale ppetrantes, quā dā-
tē simul & accipientem damnatio Simonis, quā sacra lectio testatur, inuoluit.

Act. 8.

*De cons. d. 1. c.
de locorum.*

*12. q. 2. c. qua-
tuor.*

*2. q. 2. c. qua-
propter.*

b. epist. 2.

*16. q. 3. c. presu-
lum.*

*13. q. 2. c. fa-
cultates.*

*ORDO scri-
pturarum.*

*tom. 2. Concil.
pag. 318.*

ITEM arguit eos, qui nouas basilicas sub defunctorum nomine absq; præcepto sedis Apostolicæ præsumebant sacrare. Quod ideò facit, quia multi eo in tempore etiam in nomine infidelium defunctorum constructiones ædificabant, & sacris processionibus audacter instituebant. Item valde arguit & duriter increpat, & sub honoris proprii dispendio iacere affirmat sacerdotes illos, qui feminas sacris altaribus ministrare, & cuncta, quæ non nisi virorum famulatu sunt deputata, sexum, cui non competit exhibere, faciunt & permittunt. Item iubet, tam de reditu, quàm de oblatione fidelium quatuor fieri portiones, quarum vna sit Pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis est applicanda, & hanc huic operi veraciter prærogatam locorum doceat instaurationis sanctorum manifesta, quia nefas est, si sacris adibus destitutis in lucrum suum præsul impendia his designata conuertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem, quamuis diuinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen oportet etiam præsentis testificatione prædicari, & bona fama præconiis non taceri. Et, ne illa, quæ præmiserat, negligantur, subinfert. Nec clericorum quisquam se huius offensa futurū confidat immunem, si in his quæ salubriter sequenda deprompsimus, siue Episcopum, siue presbyterum, siue diaconum viderit excedentem, si non protinus ad aures nostras deferre curauerit probationibus dūtaxat competenter adhibitis, ut transgressoris ultio fiat, & ceteris interdictio delinquendi.

ITEM in^b epistola Siculis Episcopis destinata dicit. *Præsulorum nostrorum emanauit auctoritas, ut facultates Ecclesiæ Episcopi ad regendam habeant potestatem, ita tamen, ut viduarum, pupillorum atq; pauperum, nec non & clericorum stipendia distribuere debeant.* ITEM inferius. *Si facultates Ecclesiæ, nec nō & dioceses ab aliquibus possidentur Episcopis, iure sibi vendicent, quod tricenalix lex conclusit, quia ita Imperatorum emanat auctoritas, ut ultra 30. annos nulli liceat pro eo appellare, quod legum tempus exclusit.*

ITEM PAPA breuiter adnotauit, quod de scripturis diuinis Catholica Ecclesia suscipiat, & quid vitare debeat. Et de veteri testamento dicit. Genesis librum vnum. Exodi librum vnum, Leuitici librum vnum. Numeri librum vnum. Deuteronomij librum vnum. Iesu Nauelibrum vnum. Iudicum librum vnum. Ruth librum vnum. Regum libros 4. Paralipomenon libros duos. Psalmodum librum 1. Salomonis libros 3. Prouerbiorum lib. 1. Ecclesiastes librum 1. Cantica canticorum librum 1. Sapientiæ librum 1. Ecclesiastici librum 1. Isaia librum 1. Hieremiæ librum 1. Ezechielis librum 1.

Danie-

Danielis librum 1. Osee librum 1. Amos librum 1. Micheæ librum 1. Ioelis librum 1. Abdiæ librum 1. Ionæ librum 1. Naum librum 1. Abacuck librum 1. Sophoniæ librum 1. Aggæi librum 1. Zachariæ librum 1. Malachiæ librum 1. Historiarum verò veterum. Iob librum 1. Tobix librum 1. Esdræ libros duos. Hesther librum 1. Iudith librum 1. Machabæorum libros duos. DE scripturis autem noui testamenti recipit Euangeliorum libros 4. Matthæi, Marci, Lucæ, & Ioannis. Item Actus Apostolorum librum vnum. Epistolas verò Pauli 14. Apocalypsis Ioannis librum 1. Item canonicas epistolas 7. Petri Apostoli duas. Iacobi vnam. Ioannis 3. Iudæ Zelotus Apostoli vnam.

ITEM sancta Romana Ecclesia non prohibet suscipi sanctam Synodum Nicænam, in qua Arrius damnatus est. Sanctam Synodum Constantinopolitanam, in qua Macedonius item damnatus est. & Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est. Et Chalcedonensem, in qua Nestoriana & Eutychna hæresis simul cum Dioscoro eiusq; complicibus damnata sunt, & si qua sunt à S. Patribus Concilia hætenus instituta post istorum quatuor auctoritatem custodit & recipit. Hæc etiam Opuscula S. Patrum in Ecclesia recipiuntur. Opuscula Cæciliæ Cypriani martyris & Episcopi. Gregorii Nazianzeni. Basilii Cappadoceni Episcopi. Athanasii Alexandrini, Ioannis Constantinopolitani, Theophyli Alexandrini, Cyrilli Alexandrini. Hilarii Pictauiensis. Ambrosii Mediolanensis. Augustini Hipponensis, Hieronymi Presbyteri, Prosperi. Leonis Papæ epistola ad Flavianum Episcopum destinata, contra cuius textum quispiam si vsq; ad vnum iota disputauit, & non eam venerabiliter suscepit, anathema sit. Itē opuscula & tractatus omni Patrum orthodoxorum, q. in nullo à S. Roma. Ecclesia deuiauerint, legenda decreuit.

Patrum libri legitimi qui.

ITEM decretales epistolas, quas Romani Pontifices scripserunt. Item sanctorum Martyrum gesta. sed quædam eorum ideo à Romana respuuntur Ecclesia, quia eorum, qui scripsere, nomina penitus ignorantur. Item Vitas Patrum Pauli & Antonii, & omnium eremitarum, quas tamen vir beatissimus descripsit Hieronymus. Item actus Siluestri Papæ, licet scriptoris nomen ignoretur. Item scripturam de inuentione S. Crucis: & aliam scripturam de inuentione capitis Ioannis Baptistæ recipiendas esse, & cum cautela legendas. Item de Rufino & Origene ita sentimus, sicut Hieronymus de ipsis sensit & notauit. Chronicam Eusebii Cæsariensis, & eiusdem Ecclesiasticæ historiæ libros propter singularem notitiam non vsquequaq; Ecclesia abiicit. Item Orosii historiæ laudat, &

dat, & opus Sedulii & Iuueni.

*Apocrypha
scripta.*

Is t A autem, quæ sequuntur apocrypha esse dicit, & penitus respueda. Imprimis Ariminensem Synodum. Item itinerarium Petri Apostoli, quod dicitur, Clementis. Actus Andreae Apostoli. Thomæ Apost. Petri Apost. Philippi Apost. Euangeliū Thaddæi Apost. & Iacobi minoris, & Barnabæ, & Thomæ, & Bartholomæi, & Andreae. Et Euangelia, quæ falsauit Lucianus, & quæ falsauit Xsthius. Librum de infantia Saluatoris. & de natiuitate eius, & de Maria vel obstetrice. Et librum, quid dicitur Pastoris. & illos libros, quos fecit Leutius. Et illum librū, qui dicitur, Fundamētū. & qui appellatur, Thesaurus. Et librum de filiabus Adæ. & actus Theclæ & Pauli Apostoli. Et librum, qui dicitur Nepotis, & librum prouerbiorum Sixti nomine prænotatum. Et reuelationem, quæ dicitur Pauli Apostoli. & illam quæ dicitur Thomæ. Et illam, quæ dicitur, Stephani. Item librum qui dicitur, Transitus, id est, assumptio S. Mariæ. Et librum de Pœnitentia Adæ. Et de Ogia gigante. Et librum, qui dicitur, Testamentum Iob. Et librum, qui dicitur, Pœnitentia Iamne & Mambre. Et qui dicitur, Iudæ Apostoli. Et qui dicitur, Canones Apostolorum. & qui dicitur, Sortes Apostolorum. Et qui dicitur, Physiologus abhæreticis conscriptus & B. Ambrosii nomine signatus.

Et historia Eusebii Pamphili. Et opuscula Tertulliani, & Lactantii, & Africani, & Posthumiani, & Galli, & Montani, & Priscillæ, & Maximillæ, & Fausti Manichæi, & Commodiani, & alterius Clementis Alexandrini, & Tharsi Cypriani, & Arnobii, & Thonii, & Cassiani presbyteri Galliarum, & Victorini Pictauiensis Episcopi, & Fausti Rhegiensis Galliarum, & Frumentini cæci. Contende Christo, & epistolam IESV ad Abagarum, & Abagari ad IESVM. Et passionem Quirici, Iulittæ, & Georgii. Et scripturam quæ appellatur, Salomonis cōtradictio. Phylacteria omnia quæ non Angelorum, sed dæmonum nominibus conscripta sunt.

Hæc & his similia, quæ Simon Magus, Nicolaus, Cherinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus & Bonosus, & qui simili errore defecerunt.

Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus; Apollinaris, Valentinus, siue Manichæus, Faustus, Sabellius, Arrius, Macedonius, Eunomius, Nouatus, Sabatius, Callistus, Donatus, Eustathius, Iubianus, Pelagius, Iulianus Edanensis, Cælestinus, Maximianus, Priscillianus, Nestorius Constantinopolitanus, Dioscorus, Eutyches, Petrus, & alius Petrus, è quibus vnus
Alexan-

Alexandriam, alius Antiochiam maculauit. Achatius Constantinopolitanus cum consortibus suis, nec non & omnes hæreses, quas ipsi eorumque discipuli, siue schismatici docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minimè retinentur, non solum repudiata, verum etiam ab omni Catholica Romana Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis insolubili vinculo confitetur prædictus Papa Gelasius esse damnata.

GELASIVS prædictus Papa multa rationabiliter ponit contra eos: qui dicunt hominem anathematis vinculo innodatum iam solui non posse, quia insolubile & perpetuum est vinculum anathematis, ita inter cætera dicens. *Qui in errore sunt, sententia erroris obstricti sunt. & quamdiu in eo manent, nullatenus absoluti sunt, sicut nec ipse error, in quo sunt, absoluetur. Error enim ipse nunquam veniam promeretur, sed qui eo veraciter caruerit, atq; ab eius participatione discedit. Quamdiu ergo error in eis est, damnationem suam tenet & nunquam absoluitur, quia error semper pœnam meretur. Participes verò eius, aut semper sunt eius pœna participes, si in eodem perstare non desinant; aut si ab eodem recesserunt, quantum alieni ab errore facti sunt, & ab eius participatione discreti, tantum & à pœna eius erunt consequenter alieni. Erranti enim hac eadem pœna præfigitur, quamdiu manet errans, eadem pœna constringitur, quia errans non potest esse sine pœna*. Erranti enim hac eadem pœna perpetua est, & nunquam soluenda, quamdiu errans esse persliterit; quia si errans esse destiterit, pœna, quæ erranti est præfixa perpetua non erranti, id est, alteri effecto, quam cui præfixa est, non solum non potest esse perpetua, sed iam nec esse pœna: non est enim ipse, cui præfixa est: erranti enim præfixa est, non, non erranti. Quæ enim erranti præfixa est, perpetua est, & perpetuò constringit errantem, non errantem, non potest iam tenere. Item inferius. QVOD in Achatii sententia rationabiliter intuendum est; in qua si dictum est, Nunquam es soluendus, non est tamen adiectum, etiamsi respueris, etiamsi ab hoc errore discesseris, etiamsi præuicator esse destiteris. Quapropter in aperto est ita dictum, nunquam soluendus, sed talis scilicet, qualis & ligatus est, non autem talis effectus, sicut ligatus non erat, sic absolutus esse docebat: sicut carebat obligatione, si causa caruisset, sic utique absolutus existere: quatenus & ipse non necessitate dictæ sententiæ videretur quodammodo non posse iam solui, non talis effectus, & obligatione carens fieret absolutus, & circa tales præfixa sententia nullo modo insolubilis redderetur. Sed quia nec ipse quæsivit, nec querens abiectus ipse in se insolubilem fecit esse scientiam, qui talis permanere delegit, qualis veraciter non possit absolui, & voluit talis effici, circa qualem effectum non habet*

c in tomo de anathematis vinculo.

** pœna erranti.*

** qui sicut ligatus.*

** cum obligationis causa.*

** nam.*

licentiam permanendi. Item inferius in eodem dicit. *Inferior quippe sedes potiore[m] absoluere non potest. Sola ergo potior inferiorem conuenienter absoluit.*

ITEM in commonitorio Fauſti magiſtri Legationis officio
 24. q. 2. c. lega
 tur. fungenti ita dicit. *Veniam ſibi dari proponunt. Legatur, ex quo eſt religio
 Chriſtiana, vel certè detur exemplum in Eccleſia DEI à quibuſlibet Pontifici-
 bus ab ipſis Apoſtoliſ, ab ipſo deniq[ue] Saluatore veniam niſi corrigentibuſ non
 * ſub iſto cœlo fuiſſe conceſſam: auditū. a. * ab iſto zelo nec legitur omnino, nec dicitur, quod
 * dum tamen eorum voce depromitur, date nobiſ veniam, * ita vt noi in errore duremuſ.*

ITEM inferiuſ. *Mortuoſ ſuſcit aſſe legimuſ Chriſtu[m], in errore mortuoſ ab-
 ſoluiſſe non legimuſ. Et qui hoc certè faciendi ſoluſ habuit poteſtatem, beato
 Petro principaliter mandat Apoſtolo. Quacunque ligaueriſ ſuper terram, liga-
 ta erunt & in cœlo, & qua ſolueriſ ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Super
 terram, inquit, nam in hac ligatione deſunctum nūquam dixit abſolui. Quod
 ergo nunq[ue] factū eſt, vel mēte concipere formidamuſ, ſcienteſ in diuino iudicio
 non poſſe penituſ excuſari.*

ITEM inferiuſ. *Nullum faſ eſt nobiſ cum homi-
 nibuſ aliena communioniſ inire certamen, diuina ſcriptura monente, hæreti-
 cum hominem poſt primam & ſecundam correctionem deuota, ſcieneſ, quia hu-
 iuſmodi delinquit homo, & proprio iudicio condemnatur.* ITEM inferiuſ.
*Remitti culpa de præterito poteſt, correctione ſine dubio ſubſequentē; nam ſi de-
 inceps * ſingitur manſura peruerſitaſ, non eſt benignitaſ remittentiſ, ſed con-
 ſentientiſ * annuntiatio.*

ITEM prædictuſ Papa in epiſtola, quam deſtinauit Anaſtaſio
 Imperatori, dicit. *Duo ſunt quippe, Imperator Auguſte, quibuſ principaliter
 hic munduſ regitur. Auctoriſ ſacra Pontificum, & Regaliſ poteſtaſ, in quibuſ
 tanto grauiuſ eſt ponduſ ſacerdotum, quanto etiam pro ipſiſ regibuſ hominum
 in diuino examine ſunt reddituri rationem. Impeti poſſunt humaniſ præſcri-
 ptionibuſ, qua diuino ſunt iudicio conſtituta, vinci autem quorumlibet pote-
 ſtate non poſſunt. Item ſcriptum legiſti. Meliora ſunt amici vulnera, quàm ini-
 mici oſcula.*

LII.

S. ANASTASIVS. II.

ANASTASIVS, natione Romanuſ, ex patre Petro, ſedit annu[m]
 i. meſeſ ii. dieſ 22. Fuit autem temporibuſ Theodorici re-
 giſ. Hic ordinauit Epiſcopoſ 16. præbyteroſ 12. Obiit autem 14.
 Kalend. Decembris. Hic in epiſtola, quam Anaſtaſio Imperatori
 direxit, inter cætera probat eoſ, quos Achatiuſ baptizauit, vel or-
 dinauit etiã poſt damnationem ſuam nullam portionem læſionis
 attinge-

A. cccc-
 xcviij.